



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

32. An reus hæreticus malæ vitæ, & famæ possit puniri ab Inquisitoribus
ex duobus tantum testibus contestibus tamen, & idoneis? Ex p. 4. tr. 7.
res. etiam 32.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

probara, nam ex pluribus diversis nunquam resultat unum integrale, ut patet in *l. sancimus*, §. si quis autem *C. de donat.* & in *leg. usure*, *C. de usuris*, & plura imperfecta non faciunt unum perfectum, ut habetur in *l. unic.* quæ ita summatur, *Cod. qui tutel. n. se. excus.* Non est tamen negandum, ut optime observat Cantera *loc. cit.* quod ex testibus singularibus posset fieri probatio, ut daretur aliqua pœna extraordinaria, vel aliqua tortura & ita etiam docet Scaccia *de iudiciis tom. 2. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 527.* Sed cum hæc om-

nia vera sint, difficultas est an si testes de eadem hære-
Ref. 1. not. si sint concordēs, sed eam quisque audit in vario
præterita 5. loco & diverso tempore, an inquam dicti testes suffi-
Dico octavo ciant ad condemnandum hæreticum pœna ordinaria?

Affirmativam sententiam docet doctus Simanca in *enchir. tit. 37. n. 8.* & in *instr. cathol. tit. 64. n. 77.* contra quem insurgit novissime Freyas in addit. ad tract. de *Confess. solic.* Rodericus Acugna *q. 22. n. 25.* & alij penes ipsum, cum Flores de Mena *var. qq. lib. 3. quest. 22. n. 45.* Scaccia *loc. cit.* & Ioannes Rojas, qui in tract. de *hæresi part. 2. n. 145.* periculofam vocavit hanc sententiam Simancæ. Verum illam sequuntur Salicetus in *l. testium*, cap. de testibus, num. 26. Conradus Brunus *lib. 4. de hæres. cap. 9.* & ex neotericis Hippolytus Riminald. *lib. 1. conf. 7.* & Leonard. Lessius *de iustit. & iure lib. 2. c. 30. dub. 4. num. 33.* ubi sic asserit. Si duo de eadem hæresi asserta deponunt, & solum in tempore discrepent, plenè probant, quia in substantia delicti conveniunt, & quamvis non sit idem numero actus, tamen quia est idem numero significatum, habetur pro eodem actu, imò discrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem. Ita Lessius. Vnde patet nimis rigide contra Simancam loquutum fuisse Rojas: nam licet ejus opinio sit probabilior, tamen opinionem Simancæ non periculofam, sed probabilem esse puto, & ideo novissime illam mordicus defendit Soula *quest. unic. de testib. singul. sect. 2. num. 1. post aphor. Inquis.* & tanquam probabilem etiam admittunt Ioseph. Albrecht *de relig. discipl. tuend. lib. 2. cap. 3. n. 29.* & Anton. Sanctarellus *tr. de hæresi c. 39. dub. 1. n. 6. in fine.* & post hæc scripta inveni eandem opinionem Simancæ docere etiam Miranda *de ordine jud. tom. 1. q. 17. art. 8. conclus. 5.* & Villalob. in *sum. 2. tract. 17. diff. 3. n. 6.* ubi ita ait: [Por testigos singulares no se puede provar que uno es herege, mas el maestro Arag in 2.2. q. 79. art. 2. Sacra de casus. El primero es, quando los testigos concuerdan en la heregia, y discuerdan en el tiempo, o lugar, porque en este caso, seria como el ladron que mostro la cosa, que havia hurtado a diferentes personas en diferentes tiempos y lugares. El segundo caso es quando los testigos singulares caminan a un fin y son muchos y fide dignos, que entonces se le puede dar entero credito.] Ita ille: & hæc dicta sufficiant pro defensione Simancæ, licet ego, ut dixi, contrariam sententiam teneam, quam etiam novissime tenet Paulus Layman in *theolog. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 6. c. 4. n. 5.* Dico igitur quod etiam si reus pluribus testibus singularibus idoncus urgeatur adhuc ordinaria pœna puniri non poterit; & ideo si in negativa persistat per aliquod temporis spatium est expectandum & inquirendum, an testes per omnia concordēs haberi possint. Sed prius torquendus, qui si nihil confiteatur, abjuret de vehementi, tum ad tritemes, vel carcerem perpetuum damnetur, nec Curia seculari tanquam negativus relaxari poterit, & hæc omnia docet etiam Pegna in *direct. Inquis. part. 3. comm. 121.* & Scaccia *de iudic. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 527.* & Castus Palaus *tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 4. n. 16.*

3. Nota tamen, quod ex diversitate supradictarum opinionum orta est differentia inter stylum Inquisitionis Hispaniæ & Inquisitionis Lusitanæ: nam in Inquisitione Hisp. hæretici nunquam damnantur ad pœnam

ordinariam, ex testibus singularibus; recus autem in Inquisitione Lusitana, ut notat Soula in *quest. un. de testib. sing. post aphor. Inquis.* & ideo Fernand. in *exam. Th. mor. part. 1. c. 19. §. 10. n. 19.* sciat crimen hæresis Iudaismi, Lutheranismi, &c. sufficenter probatur per plures actus singulares tendentes ad eundem finem, & que ideo testes de his criminibus singulariter testificati verè habentur concordēs, & probat usus Inquisitorum in nostra Lusitania; quia aliter non satis provideretur bono communi, poterit enim unus hæreticus rotari inficere urbem, & Iudæus cum singulis judaizare, neque tamen convinci. Oppositam sententiam sequuntur Inquisitores in Hispania. Ratio eorum est, quia nulla species perfectè probatur nisi in aliquo singulari individuo. Ita Fernand. Verum in Tribunali Inquisitionis hujus Regni Sicilia observatur solus Inquisitorum Hispania, & ita etiam observat praxis Inquisitionis Romæ, ut notat Freytr. in *tr. de Conf. solic. q. 22. n. 24.* ut patet apud Farin. *q. 64. n. 218. in fin. & apud Masc. lib. 2. conc. 356. n. 25. & 26.* & ita docet Freytr. *ubi sup.* in editione noviss. n. 64. ubi probat circa præsentem questionem omnes alias Inquisitiones sequi debere stylum Inquisitionis Romanæ, & non damnare reum ad pœnam ordinariam ex testibus singularibus.

RESOL. XXXII.

An reus hæreticus mala vita, & famo possit puniri ab Inquisitoribus ex duobus tantum testibus contestibus tamen, & idoneis? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 32.

§. 1. Videtur prima facie respondendum negativè, quia, ut docet Acugna *de Conf. solic. q. 23. n. 7.* & alij penes ipsum testes quorum nomina non publicantur respectu rei, non sunt idonei, & omni exceptione majores. Sed in Tribunali SS. Inquisitionis nomina testium non manifestantur reo. Ergo, &c. Minor patet ex praxi, & major probatur quia delatus non potest per ignorantiam testium, de quibus nomina nescit, adversus eos aliquid objicere. Ergo non erunt testes omni exceptione majores, & ita hanc sententiam docet ex neotericis Octavius Spathar. in *praxi Reg. tr. 7. c. 14. n. 2.* Eymetic. in *dir. Inquis. p. 3. q. 71.* Alber. *de agnosc. prop. her. q. 34. n. 3.* & alij penes Farin. *tr. de her. q. 88. §. 3. n. 56.* quibus adde Barb. in *collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. n. 5.*

2. Verum ego contrariam sententiam teneo, quam tuetur Didacus Cantera in *quest. crim. c. 1. de her. n. 61.* Io. Simanca in *enchir. tit. 34. n. 5.* & in *instr. tit. 51. n. 8.* & *tit. 64. n. 36.* Gundissalvus *tract. de hæres. q. 13. n. 9.* & alij, quos novissime citat & sequitur Anton. Sanctarell. *tr. de her. cap. 39. dub. 2. n. 12.* quibus adde Torrelblanca *de magia lib. 3. cap. 17. n. 70.* Lessium *lib. 2. c. 30. dub. 4. n. 33.* & ratio est quia cum in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & nullo jure ab hac regula excipiuntur ij, qui de hæresi debent damnari, ergo jussu per duos testes condemnabuntur, & hanc sententiam velut communem sequitur etiam Iul. Clar. in *pract. lib. 5. §. hæresis, n. 20.* & eam usu esse receptam in Tribunalibus Inquis. testatur Pegna *ubi infra.* Nec contra sententiam nostram faciunt DD. pro opinione negativa citati. Nam, ut observat Farinac. *loc. cit. n. 18.* concordandi sunt, ut videlicet loquantur, quando testes non sunt omni exceptione majores, & sic testimonium duarum sceminarum non sufficit ad condemnandum hæreticum; vel dic ubi illud, quod DD. contrarij loquuntur in casu quando delatus est vir aliquoquin bonæ famæ, secus autem si esset malæ famæ, & ita Io. Rojas *de heret. part. 2. num. 103.* sic ait, Ego non aude- rem in tam gravi crimine duobus tantum legitimis testibus quempiam condemnare nisi delatus esset malæ opinionis & famæ, vel alia adminicula contra eum

Y y concur

530 Tractatus XII. De Poenis delictorum,

concurrerent / quo casu communis DD. opinio esset tenenda. Ita Rojas, & alij.

3. Restat modò respondere ad argumentum contrarium supradictum, ad quod respondeo cum Ioseph. Aldrete de rebus scriptis. lib. 1. cap. 14. n. 13. & aliis, quod in sacro Inquisitionis Tribunali diligentia DD. Inquisitorum supplet abundanter id quod defensionis, in testium nominibus supprimendis, adimitur.

4. Claudam igitur hoc quæsitum cum verbis doctis. Francisci Pegna in direct. Inquis. comm. 20. sic asserentis. Non possumus diffiteri liberum esse iudicibus fidei, & ob communem sententiam, & ob iura duos solum testes idoneos in quavis causa postulantis, & ob communem ulum sacri Tribunalis Inquisitionis, ad voces duorum testium idoneorum, reum hujus criminis condemnare. Negativa sententia valde benigna est & secuta, quæ tunc potissimum non esset condemnanda, quando reus insignis probitatis communiter haberetur, & integre famæ & incorrupte vitæ; tunc enim non esset incongruum, aut differte supplicium, donec fortè aliæ accederent conjecturæ & probationes; aut mitius punire, & hac etiam ratione videntur loquuti hujus opinionis asserentes. Ita Pegna. Vnde reus malæ vitæ & famæ potest puniri à DD. Inquisitoribus tanquam hæreticus ex delatione duorum testium, dummodo sint testes, & omni exceptione majores, & ita præter DD. citatos tenet etiam Maleus maleficarum tom. 1. p. 3. q. 2. & hæc dicta sunt in rigore loquendo, nam hodie praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ, regulariter non damnat quoscunque hæreticos ad poenam ordinariam, nisi per tres testes testes idoneos.

RESOL. XXXIII.

An Inquisitores possint damnare reum, ut publicè abjuret de levi?

Et an abjuratio de vehementi, quamvis fieri debeat publicè, & in loco publico, possit tamen ex rationabili causa fieri non publicè, sed secreto?

Et notatur, quod etas necessaria ad abjuratorem in masculis est 14. annus, & in feminis 12.

Et advertitur, quod si supra dicti reconciliantur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabuntur, ex misericordia, consulto Supremo Consilio Inquisitorum, videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 33.

Sup. hoc in §. 1. Negativam sententiam docet Sanctarell. tr. de hæresi, c. 41. dub. 2. n. 4. Sigismund. Scaccia de judic. caus. & c. lib. 1. c. 5. n. 10. Pegna in direct. Inquis. p. 2. licet ad lin. comm. 40. Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 12. & Rojas singul. 1. n. 26. ubi sic ait: Secunda differentia quæ est inter abjuratorem de vehementi, & de levi est respectu loci; nam abjuratio de vehementi fit solemniter in conspectu totius populi, sed de levi in domo Episcopi, vel coram Inquisitoribus. Ita ille, & ante omnes Simanca tit. 1. n. 24.

2. Verum hæc sententia ita absolute prolata (pactantorum virorum) mihi non placet, & hodie praxis S. Inquis. Hispan. in aliquibus casibus, ut patet, est in contrarium: nam contrahentes binas nuptias abjurant de levi, & tamen publicè: idem etiam faciunt aliquando blasphemii, legentes libros hæreticorum, Astrologi judicarij, &c. ut infra suis locis parebit. Vnde libenter adhæreo sententiæ Eymerici, qui pro sua sententia male citat Rojas, in direct. Inquis. p. 3. n. 161. ubi docet quod reus si est suspectus publicè, debet etiam publicè abjurare de levi; si autem non, abjurabit in Audientia secreta Inquisitorum, secundum quod apud plures, vel pauciores suspectus fuerit de hæresi. Igitur in casibus

contingentibus, hoc remittendum puto arbitrio DD. Inquisitorum; & ideo Soufa in apbor. Inquis. lib. 2. c. 40. n. 5. loquens de abjuratone levi, sic ait. Hæc abjuratio aliquando fit publicè, aliquando verò secretè, secundum quod culpa publica, vel occulta fuerit, prout Inquisitoribus videbitur. Ita ille.

3. Nota etiam quod licet abjuratio de vehementi, debet fieri publicè, & in loco publico, ut diximas, & docet Riminald. lib. 6. conf. 186. Menoch. de arbit. lib. 2. c. 3. n. 1. & constat ex cap. ad abolendam, §. preterea, de hæret. & ibi Bartolus n. 6. Socin. n. 8. & Ananias n. 12. & ex Bulla Martini V. tamen aliquando, ut optime notat Pegna in direct. Inquis. p. 3. comm. 40. n. 161. rationabilis causa potest suadere, ut abjuratio de vehementi efficiatur etiam non publicè, sed secretè. Etas verò necessaria ad abjurandum in masculis est 14. annus in feminis 12. ut patet ex Confil. Tolet. c. 11. & Bituricensi cap. 31. Non desinam tamen hic apponere verba iustit. Vallisolet. anno 1488. §. 12. sic asserentis. [Los menores de edad de discrecion assi hombres como mugeres no sean obligados a abjurar publicamente salvo del puer de los dichos años de discrecion, que son doze en embra, y catorce en varon y que assi se enjunda el capitulo de las ordenaciones de Sevilla que en esto dispone, y que sendo mayores de los dichos años, abjuren de loque hizieren en menor edad, siendo doli capaces.] Quæ verba ut observat Patamus lib. 3. q. 4. n. 17. & ante illum Pegna in direct. p. 3. comm. 40. n. 162. indicare videntur pueros ante ann. 14. & feminas ante 12. posse abjurare, non tamen publicè, si doli capaces fuerint. Sed ego puto, hanc sententiam raro à DD. Inquisitoribus in praxi deducendam esse, & ideo Soufa in apbor. lib. 2. c. 40. n. 4. sic ait. Masculi ante 14. annum, femina verò ante 12. non abjurant, nisi raro, etiam si sint doli capaces. Ita ille, & Pegna loc. cit.

4. Advertendum est tamen, quod supradicti si reconciliantur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabuntur, ex misericordia consulto supremo Inquis. Consilio videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu, iterum ad reconciliationem, & ita tenet Inquisitor San Vincente in manu tr. 6. c. 5. 3. ubi sic ait: Si el ralapso esta conuencido de la ralapso por testigos, haviendo sido la primera vez solo conuencido por su confession, aunque en rigor deve ser relaxado, se deve atender mucho a la edad y capacidad del Reo, al tiempo de la primera reconciliacion, pues por los menores siendo de los que abjuraron los errores, que tuvieron menores las mugeres de doze y los hombres de quatorce años, conforme a la instruccion de Valladolid, ibi doli capaces, parece que se deve ualor con ellos de misericordia, admitiendo los segunda vez a reconciliacion consultando siempre al Consejo.] Sic ille. Cuius opinio deserviet supra proximè cap. 26. de relapsu.

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores debeant punire tanquam hæreticum, facientem ritus hæreticales, seu proferentem verba hæreticalia, & negantem intentionem? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 34.

§. 1. Ego more meo breviter, & clarè colligè aliquod ex probatissimis Authoribus. Dico igitur, quod Io. Rojas de hæresi. p. 1. n. 276. & seq. c. n. 583. & seq. Albertin. de agnosc. q. 8. m. 12. q. 32. m. 7. q. 34. n. 57. & alij, asserunt quod si quis confessus, vel convictus, dicat se ritus hæreticales fecisse, sed negentem, ut hæreticus puniendus est, & ideo relaxandus Curie ut hæreticus negativus. Verum his non seculari, tanquam hæreticus negativus. Verum his non obstantibus, Didacus Cantera in 99. crim. rubr. de hæresi. cap. 1. dub. 6. n. 69. concludit, quod licet de rigore juris